



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 3. Satisfit Dubiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

Integrâ, idest, ante litem in iudicio contestatam. At lite contestatâ non potest inuitus revocari, nisi iusta, & gravis causa subit, ne damnum patiat. *l. ante diem scilicet sequi. C. de Procuratoribus.*

Tertio finitâ instantiâ, idest latâ sententiâ definitiva. Nam procurator iudicium appellationis prosequi non tenetur. Poterit tamen denuo patifici.

Quarto per mortem domini, à quo constitutus est, re integrâ: interdum quoque re non integrâ. *l. Nulla. C. hoc tit. l. Mandatum. ff. Mandat.*

Quinto ipsius procuratoris obitu. Neque enim ad hæredes officium transit.

Sexto Mutatione, seu alio in eius locum substituto. *l. si quis cum procuratorio. ff. eod.*

Denique si principalis adveniat, & causam per se tractare velit. Hoc ipso siquidem censetur dimittere procuratorem, nisi ex circumstantiis, & coniecturis aliud appareat. *Lancelot. l. 2. Institut. tit. 2. Tuschus Concl. 833. Vvesenbec. l. 3. ff. tit. 3. numero II. Canis. l. 4. Institutionum tit. 3. Azor. in sum. l. 2. Rubr. 13. numero 12.*

*Arn. Corvinus in Aphorism. l. 3. tit. 9. Vallens. l. 1. tit. 38. §. ultimo.* Vbi circa finem, de procuratore excommunicato monet, acta ipsius, si postquam constitutus est, excommunicetur, & nemo contradicat, valida futura: secus,

si constitutionem excommunicatio præcedat. *Felin. in Post cessionem. De probat.*

§. 3.

*Satisfit Dubiis de Advocatis & Procuratoribus.*

DVB. I. An Clericus possit esse Advocatus?

R. Non posse, tum quia minus conveniens, & decorum est statui Ecclesiastico, tum quia irregularitatem inducit, in causis capitalibus, si ex patrocinio Clerici mors aut mutilatio sequatur, quemadmodum accidisse cuidam Ostiensis testatur, qui fratrem suum defendendo effecit, ut accusator morte plecteretur. *c. Postulasti de homic. c. 1. Dist. 50. c. aliquantos. c. si quis post. Dist. 51. cap. ex literis de excessib. Pralator.*

Excipe 1. causam piam, qualis est Ecclesiæ, monasterii, viduarum, & orphanorum, miserabilium personarum, & Consanguineorum. *Silv. V. Advocatus n. 2. Armilla n. 6.*

2. Si non faciat lucri cupiditate, sed ex charitate, & zelo iustitiæ defendendæ: ut patet ex contrario sensu *c. Pervenit Dist. 86. & notat Abb. in c. 3. Ne Clerici vel Monachi.* Hic verò non est stipendii aut mercedis locus.

3. Vnam vel alteram causam defendere potest. *innoc. in ca. un de oblig. Abb. l. cit. Trotius l. 2. de perf. clerico. c. 54. numero tertio.*

4. In foro Ecclesiastico, & causis Ecclesiasticis permittitur. *c. 2. de postul. & c. in nostrâ. De Procurat.*

5. Domi licet rationes & allegationes conquirere, aliisque ad proponendum in iudicio suppeditare. Hoc enim



charitatis opus, & meritorium est, ut in  
6.1. Dist. 39. tradit Ripa.

6. Excipe Clericum, qui beneficio caret, & sacro ordine. Hic enim cum à laico parum distet, nec postulare, nec advocare prohibetur, etiam in saeculari foro. *Navarrus cap. 25. numer. 100. & c. non dicatis num. 99.* si tamen publicè coronam, & habitum Clericalem gestant, vix à peccato excusari possunt, publicè & ordinariè exercendo prædictum munus.

In Curiâ Romanâ consuetudine receptum est, teste *Salzedo apud Diaz in Pract. cap. 65.* ut non solum suo nomine, quod omnibus etiam sacerdotibus permissum, sed alieno etiam procuratoris, & advocati munus exerceat, & omnes lites quantumlibet profanas tractent pretio ad id conducti. *Simon Maiol. De irregul. l. 5. c. 19 n. 4.*

8. Quod irregularitatem attinet, notandum est, eam iuris merè humani esse, ac proinde facilè impediri, ac tolli posse. 2. non incurrere Clericum, quando eum protestatione accusat, vel patrocinatur, 3. immunitatem ab ea fore, si Iudex tali protestatione contemptâ ad pœnam sanguinis vel mortis procedat. *V. qua dixi de accusatione titulo tertio §. 1. n. 8. & §. 2. Dub. 6.*

*Barb. in tit. de postulando. Anila Par. 7. D. 5. sect. 2. D. 8.*

DVB. 2. quid de sacerdotibus, & Episcopis dicendum?

R. Episcopos, & maiores ipsis à munere advocandi simpliciter remouet *Angelus V. advocatus num. 4.* tam coram Ecclesiastico, quam coram laico iudice *cap. Te quidem 11. questio. 1. cap. Prælatum*

*Distinct. 88. cap. Episcopus. 14. Quest. 5. & 21. quest. 3. per totum.* Presbyteris vero permittit in quatuor causis advocare. Primo pro se. Secundo pro Ecclesia sua. Tertio pro personis sibi coniunctis, & hoc, quando non possunt habere alium, vel non ita bonum, & personarum coniunctarum usque ad quartum gradum. Quarto pro miserabilibus personis. Intellige omnes illas, quæ per se proprias causas non possunt tractare, vel Ecclesiastico auxilio indigentes. In criminali verò coram Iudice saeculari nunquam possunt. *Ita ferè Angelus. V. Sanchez l. 6. Conf. cap. 7. D. 3. Armilla numero 6.*

Meliùs alii cum *Panorm. in titul. De postulando.* Coram Iudice saeculari Episcopo advocati partes minimè suscipiendas esse, quia non decet reverentiam ab eo exhibere Iudici, à quo eam iure suo exigit, sed coram Iudice Ecclesiastico exiusta, & rationabili causa liberum ipsi esse, an per se vel per alium agere velit. Ad ipsum namque cumprimis pertinet tueri iura Ecclesiæ suæ, defendere pauperes, & miserabiles personas, neque ut suos & coniunctos sibi detrahat, charitas permittit. Præclarè *Sanctus Gregorius ad ianuarium Archiepiscopum ep. 6.* Pastoralis regiminis necessitate compellimur, ut orphanorum, viduarumque causis solertius, quàm cæteris curis insistamus. & *S. Hieron. ad Nepotian Gloria Episcopi est, pauperum opibus providere.*

NOTA. Religiosis, licet Canonici regulares sint, advocati, & procuratoris officium omninò prohibetur, nisi iubente prælato in causa monasterii sui  
Clem.



*Clem. Religiosus De Procur. v. Laym. l. 3. tr. 4. c. 26. num. 12. Armilla num. 8. Em. Sa. num. 2. Soto. l. 5. q. 8. art. 2.*

DVB. 3. An procurator, & Advocatus pauperum causas gratis suscipere, & defendere teneatur?

R. 1. Certum est teneri, quando pauperes extrema necessitate laborant, ita, ut si non defendantur, bonis omnibus, vel etiam capite multandi sint. Nam proximo suo extremè indigno subvenire quilibet debet, nisi in necessitate constitutus sit. Verum de non extrema, sed gravi necessitate dubitatur. Pone ad fustigationem, tritremes, aut gravem carcerem damnatum iri quempiam, cui succurrere advocatus possit, tenerne sub gravi peccato id facere? *Caceranus, & Navarrus in cap. 25. num. 29.* esse obligatum censet: probabilius tamen videtur teneri, modo tantum temporis ab alius curis necessariis vacuum habeat. Ratio eadem est, quæ in materia de elemosyna dari solet, ad probandum, sub mortali peccato pauperi in gravi necessitate constituto succurrendum esse; alioqui non videtur quis diligere proximum suum, sicuti se ipsum. *Sanctus Thomas 2. 2. d. questione 71. articulo primo* quem allegat *Sylv. v. Advocatus num. 11.* qui tamen cum *Navarro in v. Elemosyna num. 2.* docet, etiam habentes superfluum ultra necessitatem non nisi in extrema necessitate ad largiendam elemosynam obligati. *v. Less. cap. 31. Dub. 7. Soto l. 5. questione octava art. 1.*

R. 2. Iudex cogere Advocatum & procuratorem potest ad patrocinandū

pauperibus. *Glo. in l. invitus C. De procur. Zerola Par. 1. v. Advocatus num. 1. Gaill l. 1. Obs. 43. citatis multis legibus.* Compellitur autem sub pœna privationis officii *l. providendum. S. 1. C. de postulando.* Nihilominus ex iustis causis excusare se apud Iudicem potest, quæ si relevantes sint, recipiuntur, & alii deputantur. *l. Longius. l. Iudex. De excus. tutor.* Quando autem ex publico salarium accipiunt, non est, quod difficiles se exhibeant.

In regno Galliarum ex publico alii *Tholos. l. 49. c. 6. testatur De Neapotian. Barb. in cap. Ex literis, De maior. & obed. De Camera Sprenti Andreas Gaill l. cit.* addens etiam processus ex Cancellaria pauperibus gratis dari, nuncios quoque gratis executionem facere. Si tamen causam obtinuerint, in executione factos sumptus refundere debent, quandoquidem ad pinguiorem fortunam translati sunt: nec iustum est, eos cum aliorum damno locupletari. Ideo super postea acquisitis conveniri possunt, deducto, ne egeant. *l. Cuius & filius fam. ff. de cessione bonor.*

Quæres, si advocatus renuat patrocinari pauperibus, an contra iustitiam peccet? censeo non contra iustitiam sed charitatem duntaxat peccare, ac proinde non teneri ad restitutionem, & compensationem damnorum. *Mynsing. Cent. 4. Observ. 32. Soto. l. 5. Q. 8. artic. 1. Regim. l. 256. 29. n. 675. Tanner. Disp. 4. n. 225.*

DVB. 4. Vtrum Advocato liceat causam dubiam defendere.

R. Supposito, quod de opinione probabili DD. communiter tradunt, advocato licet suscipere, & defendere



causam, de qua non constat, iniustam esse, sive accusando, sive defendendo. Nam qui operatur secundum opinionem probabilem, quamvis opposita censeatur probabilior, non peccat. *Navar. Prelud. 9. num. 9. Item consil. 9. de empt. & c. 27. in Manuali. Sylv. v. scrupulus n. 3. Em. Sa. V. Dubium. num. 5.*

Neque enim idè vera est hæc vel illa opinio, quia videtur esse. In multis siquidem propter latentes causas decipimur specie recti. Et considerandum est, quod advocatus non definit causam, sed ea proponit, quæ probabilem faciant, & totam decisionem Iudici relinquat, qui fortè oppositum pronuntiabit. *Sotol. 5. q. 8. ar. 3. Sylv. q. 10. Sayr. l. 1. c. 11. Vasq. Disp. 64. c. 1. Sanch. l. 1. Mor. c. 9. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. Bardas. Discept. 4. c. 29. ubi notat, excipi causam sanguinis, in qua probabiliori sententiæ insistendum sit.*

Neque urget, quod aliqui obiiciunt; non licere bellum movere, cuius iustitia dubia sit: quia ut bellum suscipiatur, non satis est, existimare licitum esse, sed de illius æquitate, & necessitate, quæ ex iniuriâ illatâ pender, constare debet. In iudicio forensi alia ratio est, ubi in utramque partem disceptione facta Iudici determinatio relinquatur. Iudex autem, quamvis communem Doctorum opinionem ut plurimum sequi debeat, non ita astringitur tamen, ut oppositam illi ex causa eligere nequeat. *V. Menoch. de arbitr. Centu. 4. casu 349. & qua diximus Tit. 2. §. 3. Dub. 2.*

Dub. 5. Quid advocatus causam dubiam suscipiens observare debeat?

R. Triahæc sibi commendata noverit. Primum est, ut causæ sibi propositæ merita, æquitatem, & probabilitatem accuratè exploret, & si animadvertat improbabilem vel iniustam esse, defensione, & patrocinio omisso litigare volentem abstineat, ne se ut concussa reum faciat omnium malorum, & damnorum, quæ consequi possunt. *S. Tho. 2. 2. d. q. 62. a. 7. & q. 71. ar. 3.* Neque confessariis permissum est absolvere causidicum, cui perinde est, justam, an iniustam causam tueri.

Secundum, ut post diligentem causæ examinationem sincerè, & fidelitè clienti suo appetat, quæ probabilitas, & spes victoriæ sit. Contrarium si fecerit, & vana spe induxerit illum ad litigandum, ad compensationem omnium damnorum obligatus est. *Leß. c. 31. D. 8.*

Tertium, ut paratus sit quando in processu manifestè deprehendit causæ susceptæ iniquitatem, desistere, & eandem cessationem clienti suæ persuadere, quemadmodum. *S. Tho. monet q. 71. ar. 3.* Quod si hoc illi grave & dedecorosum videretur, sibi imputet, & à dubiis litibus suscipiendis in futurum caveat.

Adde, si prædicto modo ad inceptalite destiterit, propter causæ iniquitatem in progressu repertam, non esse fraudandum salario suo. Cum enim bona fide manû operi admovent, bona fide laboris sui fructum exigere potest. *l. præter. ff. de vacat. & cessat. muner. Silvest.*



Silv. n. 22. Armilla. n. 18. Soto l. 5. q. 8. art. 3.  
Az. n. l. 13. c. 29. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n.  
18. & 19. Treutler Vol. 1. Disp. 8. n. 3.

Dub. 6. An utrique parti litigantium  
simul patrocinari liceat?

De concientia: movetur quæstio  
hæc, non de praxi, & usu iudiciorum.  
Nullibi enim permitti illud, sole clarius  
est: & Ius resistit prohibens audire, qui  
contraria allegat. l. 1. c. de factis. ubi Glo.  
Gosfridi. Ex pluribus actionibus con-  
trariis una eligenda est. Nihilominus  
Speculator in titulo de Advocato n. 14. Ad-  
vocatum utrique parti servire posse ait.  
quod Angelus num. 17. restringit ad cau-  
sam dubiam. Nam si pro actore non  
nisi probabiles rationes militent, & si  
militet pro reo, sicuti à duobus advo-  
catis, ita ab uno per intervalla propo-  
ni poterunt, non secus, ac si consultus  
à Iudice quilibet alius utriusque partis  
fundamenta in charta exhiberet. Sil-  
vester tamen n. 7. nec in dubiis admitten-  
dum putat respectu eiusdem causæ, &  
instantiæ: tum quia non est sine scan-  
dalo, & detrimento famæ, nisi rarissi-  
mè: tum quia videtur impossibile ut  
viva materia diligenter habeat bonam  
fidem respectu utriusque causæ, tum et-  
iam quia videtur contra iura. Ut ut, sit  
non video operæ pretium, laborate pro  
conquirendis rationibus ad casum, cuius  
non in foro, sed solo cerebro usus  
sit. Nunquam enim, ut initio mo-  
nui pro utraque parte unum patro-  
num seu Advocatum ullus Iudex ad-  
mitteret. Zerola Par. 1. num. 3. Armilla  
num. 70.

Quæres. Quid factò opus, si advo-

catus annum salarium à duobus ac-  
cipiens utrique eodem tempore adesse  
nequeat?

R. Assisteri illi, à quo salarium pri-  
mò constitutum est, alteri verò provi-  
debit ad alio Advocato æquè idoneo  
cum parte solarii competente. V. Barb.  
in c. fin. de postulando. Nav. c. 27. n. 28. Regim.  
l. 13. c. 10.

Dub. 7. An pro filio accusato pa-  
ter ad defensionem admitti queat?

Cepola in consil. 45. hunc casum ponit:  
Tatius vulneravit Sempronium, qui po-  
stea mortuus est. Iudex inquit con-  
tra eum. Pater dicitur Tatii vult venire  
in defensionem filii sui, non ut procu-  
rator, sed ut merus defensor, ad do-  
cendum, quod ex tali vulnere Sem-  
pronius non sit mortuus, estne admit-  
tendus.

R. spondet: admittendum esse, ut pro-  
curatorem. Nam licet regulariter  
non possit venire procurator ad defen-  
dendum reum in causâ capitali, potest  
admitti tamen, quoad unum ali-  
que in articulum iuxta Glo. in l. penul.  
§. ad crimen. ff. de publ. iud. Et confir-  
matur ex communi sententia & praxi.  
Ubiunque ferri potest sententia in ab-  
sentem, ibi potest, & debet admitti  
procurator. Atqui in nostro casu sen-  
tentia ferri potest in absentem.

Præterea generale est, quod pater  
pro filio, dominus pro servo, Abbas  
pro Monacho etiam ad plenariam de-  
fensionem intervenire potest: propter  
suum interesse. imò patris officium  
conferret, defendere filium. l. sed si u-  
nus. ff. de iniur. ita tamen, ut de filio



præsentando, & tradendo in manus Iudicis cautionem præstet: *V. Menoch. de arbitr. q. 80. num. 60.* ubi docet generaliter perimitti, ut loco accusati in iudicium veniat, & defendat ille, cuius interest.

Dub. 8. Petrus primæ tonsuræ clericus de homicidio suspectus est, & Iudex, Ecclesiasticus inquit nunquid agere illi per advocatum, vel procuratorem licet?

R. Licere secundum ea, quæ *Dub. præced. §. 2. n. 1.* diximus. Tunc enim procurator adhiberi potest, cum delicto minor religione pœna debetur. At in nostro casu secundum Canones non potest alia & maior pœna imponi, cum per inquisitionem procedatur. Adde, quod in isto casu contra absentem agi potest, ac consequenter admitti debet procurator, quemadmodum fufius declarat *Cepola in casu 72.* Addit *Menochius l. 1. q. 80. n. 129.* procuratorem admitti pro clerico criminoso, cum agitur, ut beneficio privetur ex *Decisione Rota n. 35* Contuetudo etiam attendenda est, quæ alicubi procuratores admittit, alibi excludit, quemadmodum *Clarus observat. §. fin. q. 32.*

Dub. 9. An, & quando Advocatus teneatur ad restitutionem?

R. 1. Quia advocatus lege iustitiæ tenetur clienti suo ad diligentiam, & adversæ parti ad non lædendum iniuste tenetur *Primo* clienti ad restitutionem omnium damnorum, si per negligentiam vel imperitiam suam causa cadat. *Secundo* adversæ parti etiam tenetur, si in victam causam sciens defenderit, Vn-

de consulunt DD. & ratio exigit, ut cognita causæ iniustitia clientem laum moveat. & ad cessandum impellat: recusantem deserat, ira tamen, ut adversæ parti non revelet secreta causæ absque gravi necessitate. Neque ad transactionem urgebit, quia iniustam causam habenti nihil omnino ab adversario debetur, & transactio in dubiis tantum adhibenda est.

R. 2. Si reum fraudibus defenderit contra fiscum non tenetur ad compensandum emolumentum, quod Fiscus obtinisset ex condemnatione rei. Ratio, quia non peccat contra iustitiam particularem, sed legalem tantum. Nec pœna debetur à quoquam, nisi ad eam per sententiam condemnatur.

Quid verò, inquis, si procurator sufficit, & iniuste agat? Non ideo reus fiet compensationis damnorum, quia officium ipsius non est curare, ut Fiscus mulctis, & confiscatione bonorum locupletetur, sed ut leges serventur, & legum violatores puniantur, *Leß. c. 31. Dub. 8. num. 51. Escobar. Tr. 3. Exam. 2. c. 6. At Tholos. l. 49. c. 7.* munus ipsius esse tradit, curare ea, quibus compendia in fiscum deferantur, accusare, & defendere, quantum reip. interest sine periculo calumniæ. *l. Fiscus advocatus 3. de advocat. fisci.* live igitur directè, & per se, quod dubium, live consequenter, quod nemo negabit, ratione officii sui obligetur ad procurandam Fiscus utilitatem, si per negligentiam, aut perfidiam non fecerit, ad compensandum damnum tenetur. *Mol. Disp. 55. Mich. Salon.*

R. 3. Si in criminali causâ clientem suum



sum modo licito ita defendat Advocatus, ut causam amittat, adversarius & condemnetur ad pœnam rationis vel aliam ad huius damni restitutionem non tenebitur, nec irregularitatem contrahet. Neque enim iniuriam intulit, sed rei licitæ incumbens officio suo graviter functus est. Sibi imputet accusator, qui te maioribus auxiliis non munivit. Idem dicendum de reo, cuius accusatori propter iustam negationem pœna accrescit. Eiusmodi damna enim neque reus, neque advocatus, modò contra legitimum iudicii ordinem non peccent, evitare tenentur. Quemadmodum nec accusator obligatus censetur ad restituendum damna, quibus reus ob sententiam iustam contralelam afficitur. Quin potius eum in finem iudicia aguntur, ut devicta pars iniustitiæ suæ pœnas luat. *Azov. III. l. 4. c. 7. Sylv. V. Advocatus n. 16. Armilla n. 19. Billu. Tract. 32. c. 2. n. 22. Avila Par. 7. d. 5. sect. 2. Dub. 8.*

Dub. 10. An mortuo cliente in ipsum advocatum vel procuratorem sententia possit?

R. Posse. Cum enim per litis, compositionem, litis dominus constitutus sit, *l. post litem. ff. de proc.* nihil causæ est, cur una cum cliente expiret iudicium inchoatum, sententia igitur contra ipsum vel pro ipso, contra hæredes defuncti, vel pro ipsis pronuntiabitur. *l. Nulla dubitatio. C. de procur.* Executio autem hæredibus relinquitur. *l. Plautius ff. de procur.* Excepe procuratorem prælati Ecclesiastici, quo per mortem sublato opus erit novi præfulis novo

mandato, per *text. in Clem. fin. de procur. V. Marantam pag. 242. Andr. Garil. Et. obs. 109.* qui etiam advertit *num. 5.* patre mortuo per interlocutoriam iudicis in hæredes transferri processum, & sententiam, quæ lata est cum de morte patris non extaret legitima insinuatio.

Dub. 11. Quæ sit pœna Advocati officio suo malè fungentis?

R. Si prævaricatus fuerit prodendo causam domini sui *Primo* incurrit infamiam, cuius pœnæ acerbitas Oldrado mortem attulit, metu, & maiore concepto ex manifestatione criminis sui, *teste Claro q. 72.* Insuper officio privatur & actione mandati tenetur *Menoch. Casu 323. Secundo*, Clientes si damnati a mulctam ob morosas dilaciones fuerunt, in advocatum, vel procuratorem culpabilem transferretur debitum. Idem propter contumaciam ad expensas damnatur. *Tertio* si plus culpa adversarius causam obtinuit, damnum clientis suo compensabit. *Pholof. l. 49. c. 4. cir. fin.* *Quarto* ad interesse tenetur adversario suo, si per cavillationem abstulit illi bonam causam, vel gravavit petendo iniustam dilacionem, vel allegando falsum, vel instruendo falsum testem, aut clientem suum de neganda veritate. Denique omnibus illis tenetur ad restitutionem contra quos, vel pro quibus auxilium iniuste tulit, cum illorum damno. *Leß. c. 31. D. 8. Sylv. n. 16.*

*Regm. l. 25. c. 55. sect. 3. Tol. h. 5. c.*

*60. Bonac. To. 1. pag. 334.*